Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita B. Francisci Xaverii

Torsellini, Orazio

Coloniae Agrippinae, 1610

Avthor Lectori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42323

Visual Library

AVTHOR LECTORI.

NIMIRVM nihil ſimul inchoatum & perfectum eſt. Nec poſteriora ſolùm cõſilia, ſed etiam opera meliora. Scripſeram annis ſuperioribus FRANCISCI XAVERII vitam quanta maxima potui vel diligentia, vel fide. Cæterùm illam Xauerÿ effigiem me abſẽte vulgatã vix egomet agnoſcebam: adeò multis eam mendis inquinatam atq; oblitam vidi. Nec mendoſa magis quã manca prodÿt in lucem. Nã cum olim Luſitani Regis iuſſu ab Indiæ Prorege egregia FRANCISCI facta conquirerentur, ea fermè perſcripta ſunt, quæ ille

in Luſitana ditione præclarè geſſerat. Neq; hæc omnia; ſed quicunque ex idoneis teſtibus, qui aderãt, potuêre cognoſci. Cætera verò præſertim apud Sinas Iaponesq; ab eo geſta, quãuis memoranda atq; illuſtria, maximam partem in ſilentio ac tenebris iacuerant. Itaq; cũ nuper hæc quoq; ab his, qui per id tempus apud Sinas vel Iapones verſabantur, conſcripta in manus meas aliquandò peruenisſent; feci non inuitus, vt ea primo quoq; tempore in Latinum conuerterem, & cum fide ſuis intexerem locis. Etſi enim ab integro tractandi ac propè denuo reficiendi operis labor nonnihil animum ab incepto deterrebat meum; vicit tamen laboris difficultatem, quà Xa-

uerij amor, quà ſtudium publicæ vtilitatis. Nouorum quippe factorum tanta fuit tùm copia tùm dignitas, vt quatuor libros (ne plus nimio creſcerent) in ſex diſtrahi oportuerit. Porrò vt Xauerius noſter ſicut inſtructior, ita emẽdatior prodiret in publicum, omni ope atq; operâ curaui. Quanquam aduerſus errata nunquam ſatis eſt cauta mortalitas: vt prudentiſsimus quiſq; iuſtiſsimusquè rerum æſtimator emendatiſsimum iudicare debeat, quod minimè mendoſum in hoc genere eſſe videatur.

Vale.